



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Nicolai Revsneri IC. Oratio De Nomine Iesv, Dei & Mariae
Filij, summi Regis, ac Pontificis, Messiae, siue Christi à
Deo vncti**

Reusner, Nikolaus

Lavingae, 1582

VD16 R 1457

urn:nbn:de:hbz:466:1-12443




XVI

9

Th. 5859.







NICOLAI REVSNERI IC.

ORATIO

DE NOMINE IESV,
Dei & Mariæ Filij, summi
Regis, ac Pontificis, Mes-
siæ, siue Christi à
Deo vncti.

Cui adiunctæ sunt duæ Orationes de di-
sciplina adolescentiæ, à Generosis
Dominis Baronibus Strei-
nijs recitatæ.



L A V I N G Æ.
M. D. XXCII, Calendis Ianuarij.

IN OMNI REVERENTIA

ORATIO

IN OMNIBUS REBUS

IN OMNIBUS REBUS

IN OMNIBUS REBUS

IN OMNIBUS REBUS

IN OMNIBUS REBUS

IN OMNIBUS REBUS

IN OMNIBUS REBUS

IN OMNIBUS REBUS

IN OMNIBUS REBUS

IN OMNIBUS REBUS

IN OMNIBUS REBUS

IN OMNIBUS REBUS

IN OMNIBUS REBUS

IN OMNIBUS REBUS

IN OMNIBUS REBUS

IN OMNIBUS REBUS

IN OMNIBUS REBUS

IN OMNIBUS REBUS

IN OMNIBUS REBUS

IN OMNIBUS REBUS

IN OMNIBUS REBUS

IN OMNIBUS REBUS

IN OMNIBUS REBUS

IN OMNIBUS REBUS

IN OMNIBUS REBUS

IN OMNIBUS REBUS



AD NOBILEM,
ATQUE STRENUVM VIRVM

D. Ioannem Fridericum à Roth, EQVitem

Suevum, & Consiliarium Palati-
num Neoburgium &c.

NICOLAI REVSNERI

Epistola.



ECIT EXIMIA
non modò humani-
tas tua, verùm etiam
pietas: Io. FRIDE-
RICE: vt orationem

anc, sub tui potissimùm nominis au-
toritate, in manus hominũ emitterẽ,
que publicarem. Quàm enim huma-
us, & officiosus sis erga omnes, præ-
sertim bonos, ac literatos viros: vulgò
notũ est: quàm verò pius, & religiosus
Deum: non sermone tantum: qui
omnis esse tuus solet de Deo, ac re-
diuinis: sed multò magis opere ipso
testatum: quòd superstitionẽ auer-
us con taminatam, sanctæ te associas

A ñ Eccle-

Ecclesiæ: in qua vera, & integra
doctrina cœlestis. Itaque te omnes
rito tuo passim & amant, & colunt
adeoque virtuti, ac fortunæ tuæ, vide-
cet, fauent plurimum. Et quoniam
me quoque multis hæcenus modis be-
nè meritus es: volo interim hoc meum
erga te voluntatis, & gratae mentis
gumentum publicè extare: & quicquid
cunque hoc literario munusculo am-
rem tuam meum contestari. Quod si
spero, æqui bonique feceris: abunde
mihi abs te relatam gratiam exstima-
bo. Vale, Eques nobilissime: & me
in tuorum numero habere perge.
lendis Ianuarij, Anno M. D. XXC.
quem tibi, & tuis, ac potius totius
mortalium generi faustum,
atque felicem esse &
spero, & opto.



ORATIO

DE NOMINE IESU,
Dei & Mariæ Filij, summi
Regis, ac Pontificis, Mes-
siæ, siue Christi à
Deo vncti.

*A Nicolao Reusnero Iurisconsulto, & Rectore
habita Calendis Ianuarij in Gym-
nasio Lauingano.*



MODERATOR IL-
le, & dux temporū Sol,
Illustres Barones, viri
docti, atque præclari, cæ-
teriꝫ; Auditores studio-
si; Sol inquam ille, mens
mundi, & veluti tempe-

ratio; iterum confecto iam & peragrato or-
be suo; in signo consistens brumali, conuer-
tit curriculum: & hac ipsa luce, cuius ego
sanè exortū vobis omnibus benè & feliciter
evenire cupio, Calendas reducit Ianuarias:
quas noui anni auspices, cū sacris quibus-
dam solennibus celebrandis, tū verò stre-
nis largiēdis, veneranda sacrauit antiquitas.

A 3 Nam

Nam & Romanos olim in hoc ipso
exordio, benè ominari: & pro felicibus
tius anni auspicijs, singulari quodam genere
precationum, atque sacrificiorum vti-
litos fuisse legimus: maximè tunc inuo-
lano bifronte: tanquàm annorum & munda-
næ ipsius fatore, ac veluti parente: cui libo-
rum aut mola, ac interdum thure, merog; linte-
plurimq; verò, boni ominis causa carica-
mella, tum Deo, tum amicis, ac propin-
largiri: nonnunquàm etià stipes & pecunia
mutuò erogare cōsueverunt. Quo eodē mo-
do priscos illos Sabinos, Strenæ cuiusdam
sacrificasse auctor est Symmachus: acceptis
luco eius verbenis felicitis arboris, iisdemque
inuicem dono datis: tanquàm noui anni
auspicijs: argumento certo, atq; indubita-
to: viris eas strenuis ob virtutē maximè
beri. Quorum exemplo maiores quoq;
nostri festum hunc diem anniuersarium
ma religione coluerunt: quem non tam
no illi bifronti, vt gentiles Romani: quin
Christo liberatori, & seruatori (qui solus
temporum princeps, ac moderator: & ap-
quus ille dierum, vt Propheta nominat:
qui vtriusque parens primus, atq; vltimus)
sacrum, & solennem esse voluerunt: tum
rò bono noui anni auspicio, mutuis se
ferunt muneribus, ac donis: Charissimi

ardū vnā, & quasi repotijs Christianis hinc
inde per domos celebratis: quod etiamnum
multis in locis, apud nostrā religionis ho-
mines passim obseruari cernimus. Quare vt
& nos praelarum hunc à maioribus acceptū
morem sanctē, religiosēq; tueamur: praefer-
tim quum veteri iubeamur oraculo: eam po-
tissimū religionē, ac disciplinā tenere, quā
sit in more maiorum: modò tamen ea sancta
sit, & veritati consentanea: festū equidē hunc
diem Calendarum Ianuarij (qui orbi hodiē
Christiano illuxit millesimus quingentesi-
mus octogesim⁹ secund⁹) non solum cultu,
& honore aliquo celebrandū; verū etiam
Xenio, ac munusculo decorandū esse censeo.
Itaq; tempori seruiā: et in eo potissimū in-
stitutū sequar Ecclesiā: quā quum hodierno
die celebret memoriam nominis Iesu Ema-
nueli puero in circumcisione diuinitus im-
positi: omnem orationem meam in saluta-
ri eius vi, ac virtute demonstranda praecipue
consumam. Quo facto, vtrumque hoc fortas-
sis consequar: vt & suum Deo honorem pra-
estē, si nominis huius sanctissimi laudes per-
censebo: & si verum eius, & salutarē vsum si-
mul declarabo, vna & eadem opera Xenitū ac
munus promissum vobis exsoluā. Sic enim
iudico; neq; sacrificiū vllum Deo acceptius
offerri posse: quā hoc ipsum laudis, & glo-
riae:

A 4 ria:

ria: neq; beneficiū, aut munus vllu m
homini dari: quā verā doctrinā, & re-
gionis cōmunicationem. Vos AUDITORES
vestra quāso beneuolentia adeste: & quā
breuiter ex hoc loco dicturus sum, a quib; au-
dis, & auribus attendite. Nam his de rebus
Sol me ille admonet, vt sim breuior: quā
ipse iam ferē prācipitans, me quoque hūc
prācipitem penē euoluere cogit.

Principiō nemo vestrū ignorat, AUDI-
TORES: variā, & diuersā fuisse apud
alias atque alias gentes, cū lustrandorum
infantum, tū nominum imponendorū
rationem. Ac Grācos quidem pro infantibus
in lucem editis quinto ferē die sacrā
cassē scribit Plato in Theæteto: Romanos ve-
rō octauo, vel nono die eosdem lustrasse re-
statutur Festus, & Macrobius: ex quo dies ille
lustricus appellatus est. Quemadmodum &
Hebrāos suā circūcisionem (in cuius lo-
cum hodiē apud Christianos successit sacra
aquā ablutio, quā Grācis baptisumus appe-
latur) octauo ferē die obseruasse ex sacrā
istoria notum est: quā quidem fōederis institū
Abrahā diuinitus mandata fuit: non vti-
litas coram Deo: sed vt iustitiā signaculum
quā sit per fidem.

Sic Emanuel ille noster Iesus Christus ve-
rus à patre Deo Deus genitus, & verus
matu

matre virgine homo natus: octauo demum
die circumciscus est: idq; non tam sua, quam
nostra causa: siquidem hoc modo sponte le-
gi factus obnoxius, nos legi ante obnoxios
liberauit; eodemque pacto & obedientiam
erga legem diuinam exemplo nobis com-
mendauit: & hoc veluti mysterio spiritalem
illam circumcisionem affectuum, & cupidi-
tatem edocuit: quæ non fit manu, sed spiri-
tu, & verbo: neque fit in præputio, sed in
corde: adeoque in toto animo, & corpore:
vt hac ratione exuendum sit corpus peccato-
rum carnis, per circumcisionem ipsius Chri-
sti, secundum Apostolum. De hac circum-
cisione Moses sic loquitur: Circumcider
(inquit) Dominus Deus cor tuum, & cor
seminis tui: vt diligas Deum ex toto ani-
mo, & corde tuo. Sed non solum octauo die
Christus circumciscus: verum etiam suo &
proprio nomine palam Iesus nuncupatus
fuit: more & instituto Ebræorum: quo mo-
do etiam Abramus, princeps & quasi pater
circumcisionis, eodem die, quo cum fami-
lia circumciscus est, Abrahami, id est, patris
multarum gentium nomen promeruit: quem
ritum deinceps posterum quoque ipsius sum-
ma fide, & religione tenuerunt. Sic & apud
Athenienses nomina decimo ferè die; aut, vt
Aristoteles scribit, septimo, infantibus mo-

A 5 ris

ptistæ exemplo notum est: quum amici eius
& propinqui omnes vno ore, & consensu,
patris eum nomine compellarent: vno patre
Zacharia refragante: cui nomen istud, quod
postea accepit, diuinitus præsignificatum
fuerat. Nam cognomina quidem vnà cum
progressu ætatis singulos sua tandem sorti-
tos esse nemo ignorat: eaque vel ab animo
tracta, vel à corpore, vel à fortuna: & quæ
cum his coniuncta sunt: de quo multa hîc
dicere non est nostri instituti. Quo in loco
illud tamen silentio præterire non possum:
quod Syracides alicubi monet: operam
vnicuique dandam esse: vt bonum sibi no-
men potissimum eligat: & hoc vita, &
moribus, quoad eius fieri possit, expri-
mat. Sic Patriarchas olim, & principes
Ecclesiæ certo quodam consilio, & iudi-
cio, liberis suis nomina imposuisse con-
sentaneum est: vt monumenta veluti quæ-
dam haberent domestica: quæ ob oculos
posita frequenter eos cõmonefacerent bo-
nitatis, & misericordiæ diuinæ: adeoq; ani-
mos, & sensus ipsorum ad gratiam Deo ha-
bendam quodammodò incitarent. Neque
verò dubium est: pleraque nomina, vt re-
bus, ita hominibus; inprimis autem prin-
cipibus viris, & heroibus, non temerè aut
fortuito, sed vi quadam, & prouidentia diui-
na, &

na, & naturæ ipsius instinctu indita fuisse:
quod rectè & scitè admodum, docet Plato
Philosophus. Quo modo multos etiam in
sacris literis antè nominatos, quàm natos,
aut visos legimus: ex quorum numero sunt
Ismaël, Isāacus, Salomon, &, de quo modò
dixi, Ioannes Baptista: qui ortu suo, veluti
alter Lucifer, anteuertit Solem hunc iusti-
tiæ, mundi Saluatorem: de cuius glorioso,
& salutari nomine iam porrò dicendum est.
Ecquodnam igitur, **AVDITORES**, fuit
istud tam gloriosum, & salutare nomen?
Profectò tale est nomē: quod est supra omne
nomen: & quod, Paulo auctore, non nisi in
Spiritu sancto enunciatur. Quodnam verò
est istud nomen tam sanctum, & tam emi-
nens? Dicam, **AVDITORES**: & dicam non
meis, sed Spiritus Sancti verbis: Iesus (in-
quit Lucas Euangelista) nomine vocatus est:
quod cœlitus inditum, & ab angelo, qui
Dei ipsius legatus est cœlestis, sic nuncupa-
tum est: antè quàm in vtero virginis matris
conceptus foret. Sic enim apud eundem Lu-
cam Gabriel ille angelus, diuinæ sanctus le-
gatione, Mariam Deiparam Sempervirgi-
nem compellat: Ave (inquit) Maria: Do-
minus tecum: tu beata inter mulieres, & in
magna apud Deum es gratia. Ecce concipi-
es vtero, pariesque filium: magnum illum,
& su-

& supremi Dei filium supremum: quem vo-
cabis nomine Iesum, hoc est, saluatorem: vt
idem legatus ouium pastoribus interpreta-
tur: propterea, quod populum suum, vt
apud Matthaeum Iosepho hoc declarat, sal-
uum facturum sit ab omni peccato. O nun-
cium latissimum. O Euangelium verè diui-
num. O nomen sanctum, & omnium literis
ac linguis decorandum. Magna quidem, &
eximia sunt diuinæ caritatis & beneuolen-
tiæ signa, & documenta quàmplurima: er-
ga populum suum à mundi primordio vsq;
ad hunc natalem diem multifariàm edita.
Sed nihil profectò hoc lato nuncio est la-
tius: nihil hoc diuino Euangelio diuinius:
nihil denique hoc salutari nomine saluta-
rius. Nam cætera quidem beneficia diuina,
aut priuatorum hominum, aut vnius tan-
tum sunt populi propria, & quasi peculiaria:
at verò huius nuncij lætitia, & nominis glo-
ria ad omnes mortales, in toto orbe terra-
rum pertinet. Quod ipsum arguit quoque
eiusdem legati diuini concio ad pastores fa-
cta: & ab eodem Luca relata his verbis: Ec-
ce (inquit) nuncio vobis ingens gaudium,
toti populo futurum: videlicet, vobis natum
esse hodià saluatorem, cui est Christus Do-
minus, in oppido Davidis. Quem Saluato-
rem angelus nominat; eum Ieremias vocat
Iehouam,

Iehouam, & Dominum iustitiæ, id est, qui
nos iustos facit: & Esaias Emanuelem, hoc
est, Deum & hominem: eumque admirabi-
lem, consiliarium, heroem: patrem futuri
seculi, pacis principem: quæ nomina omnia
partim maiestatis, partim gratiæ; quid aliud
quæso significant, quàm Dominum, & Sal-
uatorem; ut angelus eum nominat. Ex
quibus omnibus liquidò apparet: nomen
hoc saluatoris tam sanctum & diuinum, nõ
ab hominibus excogitatum: sed à Deo ipso
inditum, & quasi innatum fuisse: ut non
sit in eo magni nominis vmbra aliqua, sed
potius ipsa veritas: quippe qui à natura ha-
bet propria, ut sit Saluator. Quod quidem
nomen ego nisi tam magnum esse fatear: ut
vix cuiusquam mens aut cogitatio hoc ca-
pere: nedum vox, aut lingua hominis di-
cendo exprimere queat: homo non sim. So-
leo equidem A V D I T O R E S sæpe ante
oculos ponere, & in memoriam reuocare
priscos illos heroas, & principes Ebræorum:
ut Iosua, ut Othonielem, ut Ehudum, ut
Gideonem, ut Simsonem, ut alios innume-
rables: quos & ipsos liberatores populi sui,
& saluatores, & conseruatores nominatos
fuisse constat: quemadmodum & præter Iosua,
quem dixi, vates quosdam alios, ac
sacerdotes cognomines huius Saluatoris
fuisse

uisse, sacra testatur historia. Sed omnes tamē
hi, quamuis summi aliās, & praestantes viri,
ac heroēs, nomen suum ab hominibus acce-
perunt: & aut nomen solū honoris, non
honorem adepti sunt: aut si honorem vnā
salutis, atque libertatis redditā adepti sunt:
non perpetuum eum, sed temporariū dun-
taxat sunt adepti. Solus autem hic infans
Messias tam magnificum, & gloriosum no-
men vnā cum honore ipso, & opere, celi-
tis à Deo accepit: vt esset, qui vocaretur
Iesus, id est, Saluator, vel potius salus ipsa:
nimirum liberans, & seruans populum
suum, hoc est, sibi confisum, ab aeternis illis
hostibus: vt à peccato, à morte, à Sathana.
Cuius sanè gloriā, quam hoc nomine ade-
ptus est, socium habet neminē: totum hoc,
quantumcunque est, quod certè maximum
est, totum est inquam IESV tuum. Ni-
hil sibi ex ista laude angeli, nihil sancti ho-
mines, nihil reges, nihil imperatores de-
cerpunt: quin etiam illa ipsa Dei genitrix
Semperuirgo Maria in istius se societatem
gloriā non offert: tibi IESV cedit: tuam
esse totam & propriam fatetur. Nunquam
enim cum sanctitate iniquitas commisce-
tur: nec ad bonitatem diuinam, virtus ad-
mittitur humana. Quis enin quæso AVDI-
TORES tam impius est, & tam impudens:
qui

qui Saluatoris hoc nomen sibi quodam iure
suo vindicare aufit. Nam quomodo à culpa
liberare alios potest is, qui ipsemet tenetur
culpa aliqua vitij humani? Quomodo alios
liberare malis & periculis: qui ipse opus ha-
bet seruatore, & liberatore? Quomodo mor-
tuis vitam, & dignitatem suam reddere: qui
ipse in peccato mortuus, & iusto Dei ipsius
iudicio condemnatus est? Magna protectio
ac immò potius maxima est cœlestium spiri-
tuum vis, ac potestas: sed minimè protectio
tanta: vt suapte virtute, & natura, vel vnus
duntaxat hominis animam à scelere, aut pe-
na sceleris liberare, & penè ab interitu vin-
dicare queat? Neque enim hoc opus est cre-
aturæ alicuius finitæ: sed potius infiniti cre-
atoris: cuius infinita est maiestas, & poten-
tia. Quò fit, vt quoniam saluatoris nomen
sine quo salui esse nō possumus, nemo alius
vel in cœlo, vel terra, sibi vindicare poterat
omninò in peccatis nobis pereundum fue-
rit: nisi Deus Opt. Max. spontè misertus no-
stri, filium suum vnigenam mundo dona-
set: qui assumpta natura humana, mortales
omnes, cupiditate & prauitate sua tanquam
ad interitum collapsos voluntarium, non
modò extollere iacentes, sed etiam ampli-
care eorum pristinam dignitatem non recu-
savit. Nimirum hic est solus ille, & vnus
Salua-

saluator: quem Iesum Deus vocari voluit:
cuius profectò salute continetur nostra; &
cuius vita omnium pender mortalium:
non simplex ille quidem homo, vt dixi: sed
Deus pariter, & homo verus: pari cum Deo
patre, & Spiritu sancto præditus maiestate,
virtute, gloria: cuius solius munus est pro-
prium, à noxa, & peccato homines liberare,
& saluare: quod profectò quàm sit arduum,
& quàm diuinum opus: nulla satis oratio-
ne explicari potest. Qui enim à noxa & pec-
cato liberat: is pariter à stipendijs eius, &
supplicijs liberat. Quænam verò sunt illa?
Primum ira Dei: deinde potestas Sathanæ,
ac inferorum: postremò mors ipsa, & mor-
tis condemnatio perpetua. Proinde Mesi-
as ille infantulus hodiè saluans homines à
peccato; vna eademque opera saluat ab ira
Dei: saluat à potestate Sathanæ, ac infero-
rum: saluat denique à morte ipsa, & mortis
condemnatione perpetua: atque hoc ipso
opere & facto suo testatum facit omnibus:
vnum se, & solum esse Iesum, id est, saluato-
rem mundi, & liberatorem: qui pro noxa
iusticiam, pro ira gratiam, pro morte vitam
reddat sempiternam. Quæ sanè bona vt ho-
minibus integra essent, & omnibus nume-
ris absoluta, atque perfectà: magno malo suo,
vitæque periculo, cum tot hostibus nostris

B tam

tam feris ac immanibus, in medium rerum
omnium certamen, atque discrimen de-
scendit: & non solum eos vicit, qui & na-
turam, & conditionem, vt à se, non ab
alio vinci possent, habebant: sed & se
ipsum quadantenus, adeoque ipsam iusti-
tiam, vt ita loquar, diuinam vicit. Quip-
pe quum omnes eos, qui ipsius iustitiæ
diuinæ iudicio occiderant, æquitatis & cle-
mentia suæ iudicio, in vita seruauit: vt
rectè vnus sit, secundum Prophetam, Ieho-
ua iustitia nostra: à quo & ipsius iusti-
tiæ vis quodammodò deuicta est. Quum-
que immortales homines esse vellet: mor-
talis ille factus; cum immortalis natura pug-
nans; omnibus suis victis hostibus, ac
triumphatis: & pro mortis conditione, vi-
tæ tandem immortalitatem adeptus; omnes
mortales, qui vbique sunt, & qui spes o-
mnes suas in vnus Dei immortalis mis-
ericordia positas habent, secum ita fecit im-
mortales.

Potestne igitur quicquam AVDIT. tam
salutari & glorioso nomine Iesu esse saluta-
rius, aut gloriosius? Quod ego professus
tantò reliquis nominibus præstantius, aut
magnificentius esse arbitror: quantò mai-
estas diuina, & amplitudo maior est, atque
excellenter gloria & potestate humana
Quippe

Quippe quod cætera omnia, si Bernardo
credimus, includit diuinitatis nomina: li-
cet ea maximè suspicienda, & adoranda.
Quumque Dei nomina pleraque sint tetra-
grammata: non solum apud Hebræos, &
Egyptios, verum etiam apud Græcos &
Latinos: ut & apud alios ferè omnes po-
pulos: vnum profectò hoc præcipuum, &
mylticum est illud nomen tetragramma-
ton Iesu: in quo omnis potestas, & vis diui-
na significatur: & cui, ut Apostolus ait, omne
genus flectitur tam cœlestium, quàm terre-
strium, atque inferorum: adeò ut, secun-
dum Petrum, non sit aliud nomen sub cœ-
lo datum inter homines: in quo saluos eos
heri oporteat: quàm hoc ipsum nomen
Iesu diuinum & salutare. Nimirum hoc
est nomen illud diuinum, & salutare: quo
inuocato voti quisque fit compos sui. Sic
nim in nomine suo nos orare monet ipse
Iesus: qui quum sit saluator, & salus ipsa:
ita sanè nos orare vult: ut hoc cum vo-
luntate diuina, & salute nostra coniun-
tum sit. Per hoc nomen Iesu dæmonia
cecerunt Apostoli: linguis locuti sunt
nouis: serpentes illæsis sustulerunt ma-
nibus: virus, & venenum lethiferum ci-
tra noxam biberunt: morbida, aut pla-
gi potius mortua corpora, ad pristinam

B 2 inte-

integritatem reduxerunt: quæ omnia certe
sic futura ipsis prædixerat Iesus ille saluator
ac Dominus: quum in cælum ascendens
eos in mundum ablegaret vniuersum, ad
prædicandam Euangelij sui doctrinam. Ne-
que est aliud tam salubre, & tam efficax no-
men, siue in prosperis rebus, siue aduersis:
quod vsque adeò soletur miseros, aut exhi-
laret iustos. Per hoc nomen & iniurias ho-
minum ferre, & contumelias contemnere,
& ærumnas sustinere, & dolores tolerare, &
pericula subire, & mortem denique ipsam
vincere possumus. Quid multa? Oleum ef-
fusus est nomen tuum Domine: vt in Can-
ticis loquitur Salomon. Cur verò oleum?
Quoniam vt oleum flammæ, ita nomen
istud animæ & lux, & cibus, & medicina est.
Quippe quod, vt Bernardus loquitur, lucet
prædicatum: pascit recogitatum: sanat inuo-
catum. Cur enim animæ lux est nomen Ie-
su? Quia nimirum Iesus splendor patris
Sol iustitiæ, lux mundi est: in quo vita est:
nam vita, secundum Ioannem, est lux ho-
minum: eaque vera, & salutaris lux: lux
inquam, quæ in tenebris lucet: quæ collu-
strat omnem hominem in hoc mundo na-
tum: quæ ex altò oriens, vt Zacharias ca-
nit, visit nos, in tenebris, & atra nocte de-
gentes, ad pedes nostros in viam pacis dirig-
gendos

gendos: quæ gentium oculis, vt Simeon va-
cinatur, tenebras discutit, & electo populo
gloriam affert immortalem: quæ denique
nosmet ipsos facit lucem teste Apostolo; qui
tenebræ aliquando fuimus: vt tanquàm
lucis homines nos geramus, in omni boni-
tate, ac iustitia, & veritate: approbando ea,
quæ sunt accepta Deo: minimeque infru-
ctuosa tenebrarum opera participando: sed
ea potius, vt decet, arguendo. Cur verò ani-
mæ cibus est? Quia Iesus panis vitæ est: &
diuinus ille panis, qui de cælo descendit: qui
vitam, qui salutem mundo dedit: quo qui
vescitur, is nunquam esurit: neque mori-
tur, sed viuuit in perpetuum: idemque Iesus
fons est ille salutis, scaturiens ad vitam æter-
nam: de quo qui bibit, id est, qui fidem ei
habet, nunquam profectò sitit: sed per eum
viuit in sempiternum. Cur denique animæ
est medicina? Quia Iesus digitus est ille Dei
salutaris: qui medetur animis: dolores mi-
tigat: sollicitudines detrahit: cupiditatibus
liberat: pellit timores: qui iræ impetum
cohibet: superbix tumorem sedat: sanat li-
noris vulnus: fluxum restringit luxuriæ: ex-
tinguit libidinis flammam: sitim temperat
auaritiæ: indecori totius fugat pruriginem:
denique, qui vitæ & mentis tranquillitatem
largitur: qui mortis aufert terrorem: qui ani-

mi virtutes roborat: qui sensus reparat ex-
cavatos: qui bonos atque honestos mores
vegetat: qui castas fouet affectiones: deni-
que, vt vno verbo dicam, omnia adiumenta
& auxilia benè beateq; viuendi suppeditat.
O beatos, & felices, qui gustant, & vident,
quàm suaue sit, & dulce hoc nomen Iesu. O
felices & fortunatos, qui quod agunt, hoc
omne agunt in nomine Iesu: à quo vt omni-
um rerum agendarum capiendâ primordia
ita in hoc omnia rursus terminanda sunt.
Nam in hoc vno nomine omnes sumus,
& spiramus, & mouemur: immò verò in
hoc benè beateq; & viuimus, & mori-
mur. Hoc Stephani vox illa suprema,
in supremo vitæ articulo inclamauit. Hoc
Pauli caput iam amputatum non sine mi-
raculo ter insonuit. Hoc cor Ignatij ex-
cūctum, (si fas est credere) aureis litteris re-
præsentauit. Hoc nemo verè Christianus
absque honoris cultu, & veneratione no-
minauit. O nomen admirandum, ô nomen
diuinum, ô verè salutare, & gloriosum no-
men: nomen inquam Iesus, si Ebraicè loqui
volumus: si Græcè, Soter: si Latine, Saluator.
Nomen, vt semel dicam, quod vnus ac solus
habeat vindex salutis, & assertor libertatis
nostræ: à sacra & cœlesti vñctione, tanquam
summus rex, & Pontifex generis humani,
Messias,

Mefias, & Chriftus appellatus: quod &
ipfum tum naturæ, tum officio illius meri-
to debetur. Quippe quod, vt Damafus ait,
& personæ vnitatem in duabus naturis, &
dignitatem eius regiam, atque sacerdotalem,
& gratiæ ipsius plenitudinē propter vnctio-
nis prærogatiuam abundè significat: à quo
etiam nomen sibi vſurpat vera & orthodoxa
eccleſia: vt ſicut à ſaluatore ſaluati, ita à
Chriſto Chriſtiani homines eſſe, & perhibe-
ri velimus.

Quorſum igitur AVDITORES hæc
ſpectat tam longa, & tam altè repetita
oratio? Nimirum quis ſit verus vſus, &
abusus nominis huius ſalutaris, intelli-
gendum puto. Scio equidem permultos
eſſe homines: qui literas diuini huius no-
minis auro, vel gemmis inſculptas ſecum
gerere: aut ædificiorum ſuperliminaribus,
& parietibus paſſim inſcribere ſoleant:
quod ſi quidem pio & bono ſit animi pro-
poſito; per ſe fortassis ipſum repræhenſio-
nem non mēretur: ſin verò accedit ſuperſti-
tio: eò magis damnari debet; quò ſanctius eſt
nomen iſtud, ac diuinius. Quandoquidem
rei bonæ plerumq; eò maior abusus eſſe ſo-
let: quò res ipſa melior eſt, & nobilior: quod
vel ex vno incantatorū exemplo manifeſtū
eſt: quos ſacra ſcriptura tanquàm re opti-

ma plerunque abuti pessimè videmus. At
enimuerò optimum & nobilissimum aurum
cui nomen istud sanctissimum, ac diuinissi-
mum, tanquam gemma aut margarita pre-
ciosissima, inferatur, fides est pura & sincere
mater omnium bonorum, & mentis lux, &
salutis medicina: si nimirum homo nomen
istud salutare in scrinio cordis perpetuò ha-
beat: si hoc vnum quotidie cogitet: si in eo
se maximè oblectet: si denique omnem sa-
lutis & vitæ suæ spem, atque fiduciam in hoc
vno nomine collocet. Quod qui facit (fi-
cere autem omnes debemus) is profecto
omnia habet in Christo: & in hoc sit omnia
Christus: vt licet propter Christum amitte-
rit omnia, vnum Christum inueniat pro
omnibus: quo quid beatius, aut bonis
omnibus affluentius cogitari potest? Nam si
quidem culpa aliqua grauatur erroris hu-
mani, IESVS iustitia est: si morbo confi-
ctatur, Iesus medicina est: si fame laborat,
Iesus alimentum est: si imbecillitate labo-
rat, Iesus virtus est: si mortem reformidat,
Iesus vita est: si tenebras pauit, Iesus lux
est: si ad cœlum aspirat, Iesus via est: deni-
que, quicquid huic vel boni, vel mali acci-
dat, Iesus sapientia est, redemptio est, san-
ctificatio est: quæ non modò summa: sed
nimirum audebo vel sola bona dicere. Iam
verò

At
nū
is-
pre-
cere
& &
men
ha-
eo
fa-
hoc
fa-
edo
nia
se-
pro
nis
m li
tu-
fi-
rat,
bo-
dat,
lux
cc-
an-
sed
am
erō

però quam nos Deo Liberatori & Seruatori
gratiam pro hoc tam precioso, & diuino
munere potissimùm referemus? Sacrifica-
bimus A V D. vnà cum Psalte regio, hostiam
laudis: & nomen Domini inuocabimus.
Quod ita demùm consequemur: si Iesum
auctorem salutis, & libertatis nostræ piè iu-
steque colamus: si faciamus bonum, & à ma-
lo abstineamus: si denique vnà cum Chri-
sto nos met ipsos circumcidamus, & salutis
nomen hoc modo accipiamus: vt simus, qui
perhiberi volumus, filij Dei, electi ad vitam
sanctam, & beatitudinem immortalem.
Quamobrem quum tanta, & tam mirabilis
Christi seruatoris nostri erga nos extet libe-
ralitas, atque beneficentia: quæ nos erudiat,
auctore Paulo; vt relicta cupiditate & prau-
tate humana, frugaliter, & iustè, pièq; viua-
mus in hoc seculo: circumcidamur sanè vnà
cum Christo: non quidem litera, sed spiri-
tu & veritate: neque tam genitalium mem-
borum, quàm cordium, vt Ieremias monet,
amputemus præputia: adeoque veterem cum
veteri anno exuamus hominem: & contra
cum nouo anno (quem faustum & felicem
nobis esse velit Deus Opt. Max.) hominem
induamus nouū: conditum diuinitus cum
sapientia, veraque pietate, & sanctitate: vt
mentis nostræ spiritu sic renouati, liberatori

ac seruatori nostro, quantum possumus con-
formes reddamur vitæ, ac morum inno-
centia: qua nullus Deo maior honos, aut
acceptior à quoquam præstari potest. Quod
te ad extremum I E S V C H R I S T E
Fili Dei, quem Seruatorem mundi, & Libe-
ratorem generis nostri verè nominamus;
supplices omnes oramus, atque obsecramus:
sis, qui iam antè es, sapientia, iustitia, fan-
ctimonia nostra: sis sapientia in doctrina;
iustitia in fide; sanctimonia in vita tua re-
ctè, & salutariter cognoscenda. Tu, tu le-
su optime, pone nos tanquàm signaculum
in pectore, & signaculum in brachio tuo:
vt in te omnes nostri sensus & actus per-
petuò dirigantur. Tu inquam sis intus
sensus, foris vox: sis mel in ore, in aure
melos, in corde iubilus. Tu protege &
conserua nos, ô Rex & Domine: & ab
omni malo nos libera, ac custodi. Tu pa-
cem Ecclesiæ, salutem Reipublicæ, tran-
quillitatem vitæ communi largire: & ab
hac noxia quæque repelle. Tu prospera co-
ronam anni noui bonitate tua: & campos
tuos imple pinguedine, atque vbertate. Tu
animos, & sensus nostros rege, ac gubernamini
numine & Spiritu tuo: vt bono auspicio an-
ni huius noui bonam, & nouam vitam in-
stituamus: et hoc pacto tibi soli viuamus, atque
sapiamus

plamus: & sacrosanctum nomen tuum,
pro duce omnia summa adepti sumus, in
fide, & iustitia, & diligentia officij no-
stri, meritò vereque infinitis collaudemus
seculis.
DIXI.

DE DISCIPLINA ADOLESCENTIAE.

ORATIO PRIMA,

*A Generoso Domino VVolfgango Heinricho
Streinio, Barone Schuarzenauio, Ri-
chardi F. recitata.*



BENE ET SAPI-
enter admodum præci-
piūt; Illustris Baro, Re-
ctor Magnifice, Concio
ornatissima: qui suam
cuiq; ætati tempestiui-
tatē, ac disciplinā con-

uenire tradunt. Nam vt omnibus annis, se-
cundum Poëtam, non conueniunt omnia:
ita aliam ætatem alia decent studia, atq; offi-
cia: quorum omniū, vt & ipsarum ætatum,
certus quidam ac definitus est terminus. Sed
ea tamen potissimū laudatur ætas: quæ
fundamentis adolescentiæ constituta sit.
Itaque

Itaque permultum refert: adolescentes vitæ
sux modum nosse: vt intelligant, se quali
architectos esse, & fabros, quod ajunt, for-
tunæ suæ: quò maturè & vitia caueant; &
vitent errores; & discant bonas artes; & vir-
tuti dent operam; & vt omni denique fun-
gantur officio: ne quid fortè admittant: cu-
ius per omnem ætatem & pigeat, & pudeat,
& pœniteat. Propria autem, & quasi peculia-
ris adolescentiæ virtus est modestia: in qua
verecundia, & quasi quidam ornatus vitæ,
omnisque sedatio perturbationum animi
ac rerum modus cernitur. Quod Socrates
ille Philosophorum sapientissimus monere
voluit: quum rogatus à quopiam, quam
adolescentis virtus esset: respondit, NE
QVID NIMIS. Quæ sanè vox vt plena do-
ctrinæ atque prudentiæ: ita profecto consi-
deratione dignissima est: de qua si ego hec
tassis aliquid dixerò; non planè alienum
hoc loco, & tempore me facturum existimo
præsertim apud eos, quos abundare decet
præceptis, institutisque virtutis, & sapien-
tiæ: quos idcirco etiam me libentiùs auscul-
tatuos spero, vel planè potiùs confido.
Ac primum quidem omnibus notum est
arbitror illud: quod Plato in Charmide scri-
bit: tria hæc veluti oracula quædam auro
litteris præ foribus templi Delphici ab Am-
phityonibus

rebus fuisse inscripta: quæ sunt hæc:
Nec quemque: & nihil nimium cupere:
Necque æris alieni, atque litis esse mi-
seram. Quorum primum illud Apollini
Dei reliqua duo hominibus sapientibus
attribuit Plato. Socrates autem apud eundem
autorem omnia hæc ad eandem pertinere
sententiam contendit. Nam qui se ipsum
cognoscit, nihil nimium cupit: neque etiam
temere suscipit aliquid, quod præstare ne-
queat: sicut facit is, qui pro altero spondet;
& fidem hoc modo pollicetur alienam: quæ
præstare velle, non est arbitrij nostri, aut cõ-
siliij. Sed nos omisissis cæteris duobus, vnum
hoc oraculum, quod modum præcipit: à sa-
pientibus hominibus (vt Pindarus testatur)
præter modum semper laudatum; fusiùs
aliquantò, ac vberius disputemus. Nam ve-
rum esse puto, quod Sofia ille libertus apud
Terentium dixit: apprimè in vita vtile esse,
Ne quid nimis: idque cum ætati cuius; tum
verò in primis adolescentiæ nostræ. Quæ quã
vbiq; ferè nimia peccet vehementia: pro-
pter magnam vim affectuum, & cupiditatũ:
adeò vt sapenumberò sibi omnium sapientis-
sima, & præstantissima videatur: & ne sum-
ma quidem, ac difficili ma quæque (vt Ari-
stoteles monet) desperanda sibi censeat: ope-
ram profectò dare sedulo debet: ne longius
progre-

progre- diatur: sed vt modum, ac de viti
omni vita teneat: sine quo nihil reuim
aut laudabile esse potest. Nam vt nqua
critas in omnibus rebus est optima: tr
omnem vsum, cultumque vitæ maximæ
ferenda: propterea, quod (vt Plautus
xit) nimia omnia nimium ex se negum
exhibent hominibus: neque vlla virtus
um nomen, ac munus tueri potest: nisi mo
dus, qui est inter nimium, & parum, obli
uetur: adeoque perniciosissimum est in
omni vita, quod nimium est, auctore Pl
nio. Cæterum quomodo adolescentes in
omnibus rebus modum, & decus tene
possint: omninò illud animaduertendum
puto. Quod sanè compendio quodam m
hi tradidisse videtur summus ille orator Iso
crates ad Dæmonicum scribens his verbis:
Sic habeto (inquit) adolescentes maxime
decere munditiam, verecundiam, iustitiam,
temperantiam: quibus virtutibus omnibus
omnis adolescentiæ disciplina continetur.
Munditiam quum nominat primùm: in
telligit cultum totius corporis, & ornatum
vt in eo sit elegantia ac pulcritudo: non qu
dem odiosa illa, nimisque exquisita: sed mo
derata ac decora: eaque non modò à sordid
tie & negligentia, verùm etiam ab omni lu
xu, & mollitia planè remota: quarum vitia
que

vitiosa est: & reprehensione non caret:
imè verò nimia illa lautitia, & mundi-
quæ amat specula, & madentes cincin-
tim fimbrias, secundum Menandrum.
enim Poëta Naso:

Improcul à nobis iuvenes, vt fœmina,
(compti:

Fie coli modico forma virilis amat.

St Diogenes adolescentem quendam
comptum conspicatus: Si (inquit) ad vi-
ros, frustra: sin ad fœminas, iniuriosè facis.
Quò etiam pertinet vultus ipsius compo-
situs quædam honesta, ac decora: quæ ple-
rumque honesti animi testis est: eaque non
nimis torua, sed seuera: quum illud insolentia,
hoc prudentiæ argumentum sit. Sed
quoniam tamen pulcrum ornatum turpes
mores, peius cæno collinunt, secundum Co-
micum: munditiei rectè coniungitur vere-
cundia: quæ si virtus non est; comes certè,
& custos est virtutis: inprimis autem pudici-
tiæ: dedecus fugiens, laudemq; maximè se-
quens. Quæ cum omnibus ætatibus, & tem-
poribus, et locis apta: tum verò maximè ado-
lescentiæ conueniens, & decora est: quippe in
cuius vita, & vultu quasi pulcra quædam &
splendida gemma elucet: bonæ indolis in-
dex: bonæ spei alumna: testis innocentia:
virma disciplinæ: gloria conscientia: famæ
custos

custos: vitæ decus: virtutis sedes: naturæ
denique totius honesti insigne quoddam
ornamentum. Siue igitur loquendum
lescenti, siue agendum aliquid sit: sex
huic cogitandum est verbum istud: Ne
nimis. Quò fiet, vt quæ facta sunt turpia
dictu quidem decora esse putet, Nam & An-
stophanes inter alias adolescentiæ virtutis
recenset linguam modicam: vt nimirum
pauca loquatur; & loquatur modeste, ac ve-
recundè: ne ex eburnea vagina (vt Dioge-
nes monuit) plumbeum promat gladium,
aut de rebus ignotis, vel saltem non neces-
sarijs multa intempestiuè garriendo: aut im-
probè fortassis mentiendo: aut alios male
dicè, contumelioseque criminando: quod ni-
hil turpius, & homine indignius est. Neque
verò solum alios, verum se quoque ipse
recundari: ac immò potius Deum, in specta-
rem rerum omniū, vereri debet adolescentem
ne quicquam in se admittat: cuius eum ad-
quando vel pudere, vel pigere queat: sed
se totum componat: vt malè, aut indecorè
facere quicquam ne quidem velit, si posset:
nec omnino possit, si velit: licet hoc Deum
ipsum, & homines celare se posse certum
beat: quod summæ laudi fuisse tributum So-
crati legimus. Iam verò præter has duas vir-
tutes, quas dixi, etiam in adolescente requi-
ritur i-

etur iustitia; quam prohibet atem nominare
ecet. Quæ partim consistit in diligentia of-
fij, atque industria quadam in discendis
bonis artibus præstanda: partim verò in obe-
dientia, atque obseruantia parentum, aut
magistrorum, aut aliorum: qui ætate, pru-
dentia, vsu rerum antecedunt: partim deni-
que in omni fungendo officio: vt Spartam,
quam nactus est, ornet: quo ipso vel maxi-
me iustitiæ munus exequitur. Nam qui fun-
gitur officio suo; satis rectè ille fungitur of-
ficio iustitiæ: quippe quo nulla vitæ pars
omniò vacare potest: & in quo colendo si-
ta vitæ est honestas omnis: & in negligen-
do turpitudine. Præclare igitur Comicus:
Omnes (inquit) sapientes suum officium
æquum est colere, & facere. Postremò opus
est quoque temperantia: quæ est mater, &
veluti nutrix reliquarum virtutum omniũ:
& moderatrix commotionum ac cupidita-
tum: maximè vero voluptatum corporis:
in quibus modum quendam adhibere: &
ordinem ac decus conseruare: adeoq; omne
illud, quod nimium est, vitare, summæ est
virtutis, summæque modestiæ. Cauendum
est itaque adolescenti: ne voluptates malas
nimium appetat: neue has à fronte potiùs,
quam à tergo contempletur: sed vt in his
rationem ducem, ac veluti dominam seque-
tur:

C tur:

tur: inprimis verò vt animi, corporisq̃ue pu-
ritatem, atq; integritatem conseruet sobrie-
tate, & castitate, vitæq̃ue innocentia: semper
q̃ue honestis in rebus omnibus modum te-
neat; ac decorum non negligat: ne e ar-
ganter nimis de se sentiat: nec maiora appe-
tat, quàm pro viribus suis: sed vt submissè
potius se gerat, ac humiliter: & sapientiam
sibi ipse detrahat: exemplo Socratis: quoniam
verum sit, quod Comicus dixit: Qui ipse
contemnit se, in eo indoles est indultior.
Atque his sanè quatuor partibus (meo quæ-
dem iudicio) omnis adolescentiæ disciplina
continetur: quæ referri omnes possunt ad
vnam mediocritatem: quæ omnes virtutes
moderata esse debent: & quæ vno hoc co-
culo præcipitur: Ne quid nimis. Nam po-
dentia quidem, & fortitudo in hanc ætatem
vix cadunt: nisi prudentiam puerilem im-
ligere velimus ingenij indolem, & docili-
tatem, & solertiam: quæ profectò ad discen-
dum plurimùm valet: fortitudinem autem
animi quandam patientiam in tolerando
molestijs, & laboribus studiorum: si tamen
discendi labor est potius, vt Tullius ait,
quàm voluptas. Porro cum hac sententia
Isocratis congruere videtur altera illa Græcæ
cuiusdam Philosophi: qui adolescentis vir-
tutis præcipuas esse dicit; in corpore quidem
ornatum

ornatum, siue cultum decorum: in animo
entem fortitudinem, & modestiam: cum
quibus semper coniuncta esse debet pietas,
atque religio: cuius in omni ætate ratio ha-
benda est maxima. Quod si igitur hoc mo-
do firmissima adolescentiæ fundamenta ia-
cta fuerint: omne hoc ædificium præclarum
futurum est: fastigium verò longè pulcerri-
mum: atque illustrissimum: quæ est sene-
ctus: cuius apex est auctoritas: quæ si con-
iunctam habeat bonam famam, bonamque
conscientiam: nihil profectò ea melius aut
optabilius homini in hoc mundo continge-
re posse arbitror. Quare quum in omnibus
rebus videndum sit AUDITORES: qua-
tenus, & ne quid nimis fiat: vt & meam in
dicendo moderationem, modestiamque vos
cognoscatis: finem iam dicendi facio; ac pri-
mum quidem, sententiam hanc Socrateam,
quam nunc paucis percurrit oratio mea, vo-
bis, vt decet studiosè commendo, vehemen-
tissimeque comprobo: Deinde vos Adole-
scentes rogo & hortor; vt modestè vos, ac
moderatè in omni vita geratis: & pulcerri-
mæ huic virtuti quæ modum præcipit, totos
vos dedatis: neque quicquam, quod nimi-
um est, in hac præsertim ætate vestra, cui ma-
xima inest consilij imbecillitas, vel agatis,
vel cupiatis: sed omni in re laudabilem il-
lam,

C 2 lam,

lam, & moderatam seruetis constantiam
quò benè, & laudabiliter tandem exat
adolescentia, fructus capiat extremos vir-
tutis, & sapientiæ, & auctoritatis: sine qu-
bus rebus nulla ætas, quamvis longa, aut
honestas satis, aut honorabilis videri potest.

D I X I.

ORATIO SE- CVNDA.

*A Generoso Domino Ioanne Gotthardo Schu-
zenauio, Barone Schuarzenauio, Gabrit-
lis F. recitata,*

PRÆCLARE TV QU-
dem VVOLF G A N G
HENRICE Baro, & Soli-
ne carissime, de adolescentia
disciplina differis: sed tam-
Philosophicè hoc magis
mihi videtur; quàm Christianè: propterea
quòd ea magis complexus sis oratione
quæ ad disciplinam, vt vocant, externam
pertinent. Ego verò sic existimo: homini
præsertim Christiano, vt philosophandum
sit, paucis philosophandum esse: nequaquam
huc

hanc potius scientiam, vt Ennius monet,
ingurgitandum: quàm ex ea degustandum:
vt hoc modo ad pietatem, ac religionem di-
uinam, omnis accomodetur virtus, & sa-
pientia humana: ex qua, veluti ex fonte
quicquid hauritur; non de face illud, sed
purum liquidumq; totum hauriatur opor-
et. Quanquàm igitur nullo modo impro-
bare possum, nec debeo: quæ tu grauiter
iam, & disertè philosophatus es, de præci-
pui adolescentiæ nostræ studijs, atque offi-
cijs: piè tamen, & rectè omninò me factu-
rum arbitror: si ad ea, quæ tu in medium
protulisti, vnum ego adhuc corollarium ad-
didero. Qua de re mihi equidem cogitanti,
venit in mentem illud; quod Plutarchus in
Camillo scribit: pietatem, &, (quod aiunt)
nequid nimis, in vita optimum esse. Nam
vt modestia nos cum homine, ita pietas cum
Deo coniungit: vtraque sanè honestæ disci-
plinæ perutilis, ac pernecessaria: sed multò
magis tamen pietas: qua sublata, omnis vir-
tus, & humanitas, & societas generis huma-
ni tollatur necesse est. Quam in sententiam
Paulus quoq; Apostolus de educatione pue-
rorum docens, cum disciplina vult coniungi
veram de Deo doctrinam: vt primum ita
scientiæ studium esse debeat (quemadmo-
dum Isidorus loquitur) Deum quærere: al-

terum verò, honestatem vitæ, cum innocen-
tiæ opere, consecrari. Sed quænam sit vera illa
pietas, & religio erga Deum: sacræ literæ do-
cere nos possunt: Philosophorum commen-
ta docere non possunt. Sic autem de adole-
scentiæ disciplina scribit regius ille Prophe-
ta David in Psalmis suis: In quo (inquit)
adolescens corrigit viam suam? Nimirum
in custodiendo sermones tuos Domine.
Quo sanè verbo, & veluti oraculo diuino
vir ille Dei sanctissimus optimam adole-
scentiæ disciplinam esse docet legis diuinæ culte-
diam: quippe quæ norma est, & quasi regi-
la vitæ, morumque magistra: & virtutis in-
dagatrix, expultrixque vitiorum: qua ducit
ad summam felicitatem, & beatam perueni-
tur immortalitatem. Nam quoniam adole-
scentia hominem collocat tanquam in via
huius biuii: vt quam quisque viuendi viam
sit ingressurus, maturè sibi eligat: si quidem
legem Dei magistram, & ducem sibi propo-
nat: nunquam is profectò à via recta aberra-
bit: neque in summo errore, & in maximarum
rerum ignorance versabitur: sed
cursum tenebit gloriæ sempiternum: & ad
portum felicitatis speratæ, vel in primo flexu
ætatis, appellet. Neque enim ad hanc rem
confert quicquam virtus, & disciplina hu-
mana: quæ nec viam dirigit adolescentem.

nec cor eius, animumque immutat: multo-
que minùs aut Deum reddit placatum: aut
vitam, & salutem meretur aternam. Sola
nimirum hæc vis est, & potentia verbi diui-
ni: quod veluti lucerna est (vt Psalmus ait)
& lampas semitæ nostræ: quæ in tantis te-
nebris erroris, & inscitæ lumen præfert cla-
rissimum: & pedes nostros in viam dirigit
veritatis, atque sanctitatis: sine quo quid
aliud potest homo, quàm aut miserè vagari
in mundo: tanquàm in labyrintho scele-
rum, ac vitiorum omnium: aut licenter er-
rare, & peccare? Magna quidem, & eximia
sunt bona adolescentiæ, & commodæ: quip-
pe quæ flos ipse est, & optima pars ætatis; va-
cua adhuc, & immunis à cura & sollicitudi-
ne domestica: quæ suauiter fruitur cibo, &
potu, & somno: neq; aut morbis conflicta-
tur, aut alijs molestijs occupatur: sed in per-
petuo ferè gaudio viuit: vt in ea alacriter
feratur, & quasi exiliat, aureæ venæ scaturi-
go: quod Seneca dixit: præsertim quum
alia quoq; suppetunt bona corporis, ac for-
tunæ: vt sanitas, robur, formæ dignitas: vt no-
bilitas, libertas, opum copiæ: vt alia deniq;
his similia; quæ naturam, & vitam hominis
juuant. Quò si accedit quoque animi virtus,
& ingenij indoles, & ratio quædam, con-
formatioque artis, & doctrinæ: tum illud

C 4 nescio

nescio quid præclarum, ac singulare solet
existere. Sed nisi tamen cum his tan-
tis bonis coniuncta sit cœlestis illa virtus:
quæ nos cum Deo coniungit: quam vel
pietatem, vel religionem nominare licet:
summum profecto ornamentum, adeoque
maximum ad vitam beatam præsidium ado-
lescentiæ deesse videtur. Nam ut cunque
sibi in bonis his, quæ dixi, externis homo
blandiatur: nihil tamen, in vita & animo
eius, purum, aut sanctum reperitur: donec
se totum tradat verbo diuino: ex cuius
præscripto vnus dies benè actus, ferè toti im-
mortalitati antepponendus est. Quare operi
inprimis danda est omnibus: ne hæc di-
sciplinæ ratio, quæ à lege pendet diuina, aut
planè negligatur: aut in longum tempus
differatur: sed ut per hanc adolescentiæ
ipsius maturè expurgetur impuritas: ne qui
ex turpitudine vitiorum labes animis asper-
gatur: quæ nec diuturnitate euanescere, nec
lustratione aliqua postea elui queat. Quæ
quidem ætas eò maiore cura, atque custodia
indiget: quò maior est eius vel inscitia, vel
animi ad libidinem & malitiam propensio:
ut si lege diuina ita semel ea pura, & integra
reddita fuerit: minimè dubium sit, firma-
ta iam ætate, quum adolescentiæ cupiditates
deferbuerint; eximias inde virtutes extrin-
gas


tas: adeoque optimum fore remedium mul-
tis sanandis vitijs, aut planè potiùs extirpan-
dis: quæ aliàs per totam ætatem fortassis hæ-
rerent. Siquidem malè acta adolescentia,
odiosam efficit senectutem: contrà autem
studia, quæ sunt in adolescentia, tanquàm
in herbis significant: quæ virtutis maturi-
tas, & quæ fruges industriæ sint futuræ. Opti-
ma igitur adolescentiæ disciplina est pietas,
seu religio: quæ legis diuinæ sapientia quæ-
dam est, atque custodia: quam qui collo suo
alligat, & inscribit mentis tabulæ: is, aucto-
re Salomone, longum sibi ævum, & pacem
gratiamque conciliat, tum apud Deum, tum
apud homines. Nam & ab hac vna salus ani-
mæ, & medicina expectanda est: & ab hac
vitiis, peccatorumque nostrorum omnis
petenda correctio: cuius in sinum, spe beatè
vivendi, tanquàm in portum, magna iacta-
tos tempestate, homines pios confugere vi-
demus. O vitæ Religio dux: ô virtutis pa-
rens, emendatrixque vitiis: quid non
modò nos, sed omninò vita hominum sine
te esse potuisset? Tu nos Deo coniunxisti:
Tu dissipatos homines in societatem eccle-
siæ conuocasti. Tu animos eorum, qui Deo
vni adhærent, igne caritatis accendisti; tu
scientia veritatis collustrasti; tu sordibus vi-
tiorum liberaisti: tu ab insidijs malorum, &

periculis conseruasti. Tu salutem peperisti:
tu mortis terrorem sustulisti: tu vitæ tran-
quillitatem largita es. Tu bonarum legum
omnium inuentrix: tu magistra morum
& disciplinæ fuisti. Ad te confugimus: a
te opem petimus: tibi nos, & nostra omnia
commendamus: in te omnem spem & fi-
duciam salutis nostræ collocamus. Cuius
enim potius opibus vtamur, quam tuis? in
qua & medicina salutis, & thesaurus illela-
tet omnium medicinarum: qui est verbum
diuinum: quod anima hominis agra tam
anxiè, & sollicitè quærit: quo, (vt Bernar-
dus loquitur) & vtatur ad correctionem:
& illuminetur ad cognitionem: & corro-
boretur ad virtutem: & reformetur ad si-
pientiam: & confirmetur ad decorum: &
delectetur ad iucunditatem: & frauetur
ad immortalitatem. O felicem, & fortu-
natam adolescentiam: quæ optimam hanc
disciplinæ rationem consecratur: quippe
quæ (vt Hieronymus ait) ætate fit semper
doctior, vsu peritior, progressu temporis sa-
pientior. O beatam, & laude dignam æta-
tem extremam: quæ fundamentis adole-
scentiæ benè ita constituta est: vt veterum
 tandem studiorum fructus carpat dulcissi-
mos: quibus perceptis omnes res humanas
facilè contemnere ac despiciere possumus.

Te

Te, te IESV appello: Tu lux, tu mens, tu
sermo es Dei immortalis. Tu verbum hoc
vitæ, & salutis primus homines edocuisti:
tu è sinu æterni patris ad nos protulisti. Da
obsecro intelligentiam; da sapientiam; da
virtutem: vt verbo diuino credamus: vt ei-
dem pareamus: vt in omnibus denique re-
bus, prosperis atque aduersis, soli huic spon-
tè, ac perpetuò confidamus: & spe beatè vi-
uendi, omnem in te cognoscendo, colen-
doque curam, operamque ponamus:
& salutem in eo tandem conse-
quamur sempiternam.

D I X I.



EX

EX PARALIPOME
nis Emblematum Nicolai
Reusneri Iurisconsulti
Epigrammata.

I.

S. P. E. R. A.

Symbolum Illustris, ac Ge-
nerosi Domini D. Ioan. Gothardi
Streinij, Baronis Schuar-
zenauij.



Perantes possunt emerge
(re rebus amara)

Quinque notis SPERA

(Symbola picta moneant)

Laudo. nam sperare inbe-

(GOTHARDE. sed aucto-

Quis sperare bonum, ni sit & ipse bonus?

Qui pius est, comes huic nutricula grata senecta,

Et requies animi, spes bona semper adest.

Spes anima est, & vita hominis sapientis. at aqua

Spes, & quae sperat, quod licet, atque deest.

*Spes bona dat vires : animum spes robore firmat:
Spes agris vitam credula saepe fouet.
Spes bona solatur profugos, & carcere clausos:
Seruat & afflictos spes, miserosque beat.
Spes alit agricolas : spes ditat in aequore nautas:
Spes bona, fortuna deficiente, manet.
Spes eadem facit, vt de te quoq, maxima sperem,
Magne Baro: iubeat quod Deus esse ratum.
Sit nota, prima tibi quæ floret Amygdalus arbor:
Frugiferae messis nuncia, flore nouo.*

II.

S. D. G.

Symbolum Illustris ac Ge-
nerosi Domini D. VVolfgangi Hen-
rici Streinij, Baronis Schuar-
zenauj.



*Vod optimum est, magnam
(meretur gloriam:
Sic Comici vox est vetus
(Charemonis.
Nam serpit haud humi su-
(blimis gloria:
Solum*

*Solum petens Iouis, tangens cœlestia:
 Magnum secat velut iter armiger Iouis:
 Caputque celsum condit inter nubila.
 At quid Deo vel melius, vel sublimius:
 Qui solus optimus vocatur Maximus?
 Quid inde? quamuis gloria non indiget,
 Ac laude, maiestas Dei: qui mente vult,
 Quàm voce, laudari magis grata: tamen
 Quum sit bonis bonus Deus, malus malis:
 A quo facilius supplicans homo pius,
 Quàm qui scelestus est veniam, inuenit sibi:
 SOLI DEO sit summa laus, & GLORIA.*

III.

*AD INSIGNIA ILLV.
 stris domus Streinix.*



*EX clypeo, campos flauos
 (rubroque colore
 STREINIA gens pio
 (Etos cœruleoque genit.
 Cœruleus sancta pietatis
 (dicitur indet.)*


*Ingenuique notam flauus amoris habet
 At ruber armata signat data prœmia quondam
 Militiæ: quando Martis alumna fuit.*


Camp

Compus habet folium niueum ruber: indicat istud
Corde Bonos: fortes sint licet vsque manu.
Ergo super galeam duplicem micat eminūs illinc
Gryps ferus: hinc, quam dat Struthio crista
(decens.
Crista notat galeæ, decus immortale parentum:
At Gryps munificæ Symbola mentis habet,



L A V I N G Æ
Excudebat Leonhardus
Reinmichælius.






REUSN T
opusculu











Faint, illegible handwritten text in a historical script, possibly Latin or German, located in the upper section of the book's spine.

Faint, illegible handwritten text in a historical script, possibly Latin or German, located in the middle section of the book's spine.

Th
5859